



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiæ & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

Comitin, César Jean-Baptiste

Coloniæ, 1709

Pars Prima, pro animâ pœnitente.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-50773)

lius, informius, stultius, ingratius, odiosius-
que tibi & tui. Appende Deum cum omni-
bus donis, quæ recensui; mundum cum
omnibus dolis, quos omisi: te ab illo factum
& refectum, quot & quantis modis, quam
miris, quam veris, audisti: te ab hoc perdi-
tum & quoties? appende bona & mala ab
utroque, præterita, præsentia, venientia: vi-
tam, mortem, judicium, coronam, gehen-
nam, æternitatem utramque cæli & inferni.
appende te cum Deo Deum; cum mundo
dæmonè pejorem; te cum illo vitam habere
bonam & beatam, hîc & illîc, quæ in sin-
gula momenta crescat æterno gloriæ pon-
dere. mortem, quâ nihil sit optandum magis.
Judicium, in quo non judicandus, sed totâ
spectante corona hominum atque Angeloi-
rum, hominum atque Angelorum judex es
futurus. — Coronam, non apii vel lauri, sed
immarcescibilem; te cum mundo pugnantia
habere omnia. *Quorum*, inquit Bernardus,
nativitas mala, vita peior, mors pessima.

§. I. PERORATIO.

Pars prima, pro animâ pœnitente.

*Quæcùm appenderis omnia, rogabo
rur-*

rursum cum Augustino : ánne melius tibi
videatur mendicare cum mundo , quām re-
gnare cum Christo ? pudet, inquit, ita pro-
poni. Dicam aliter & fortius. An non meli-
ius tibi mendicare cum Christo , quām regna-
re cum mundo? Et si bonum est mendicare cum
Christo ; nōnne melius est manducare cum
Christo ? si tam suave est, ô Domine, flere pro
te; quale erit gaudium de te? [Gilbert. Et Au-
gust.] vel, ut Ambrosius: Si opprobrium tuum
gloria est; quid erit gloria tua?

Quæ cùm ita sint, quid esse causæ putem,
cur tantum boni, tantum spei , tantum fidei
non ametur à subditis, à famulis, à filiis Dei?
in tantum, ut, quemadmodum ante nos insi-
nuavit Chrysostomus, haud aliud invenias
certiusque discriminem inter fidelem & infides-
lem, quām ex præposterâ ratione blasphemandi.
Sonat enim per compita domosque
Christianorum nomen ubique Dei; sed quo
scandalο? quid dico scandalο. Laus quæritur
ubi pœna metuenda; sic, ut virtuti vitium, vi-
tiisque virtus novo more vertatur. O rem
infandam! Et hæc est retributio nostra pro
tot ac tantis in illo, ex illo, & ab illo donis?
Memiserum ! [I. Machab. 2.] Ut quid natus
sum videre contritionem populi mei? Ecce san-
cta

*Ea nostra, & pulchritudo nostra, & claritas
nostra desolata est, & coinquiaverunt eam
non gentes, sed filii dei. nam ceteros ignaros
Dei siique pessum ire non miror; sed te, ô
fili, post tot à Deo commoda, quæ non ne-
scis; post tot à te, & à mundo incommoda,
quæ scis, & quæ nescis; adhuc inter ganeas
diù noctiique versari? proh scelus! & unde
furoris tantum in te sacrilegiique tantum?
ubi es? unde? quò? appende, appende, appen-
de, inquam, ô dilecte viscerum meorum,
quondam corona mea, nunc dolor, nunc
pudor. Quid enim? uritur Apostolus, si quis
scandalizatur; & ego te videns, non (ut aje-
bat Paulinus) ex apro agnum, ex leone vi-
tulum; sed è contrario ex agno lupum, ex
ove suem, non urar de te, quem in Christo
olim genui, quem in mundo modò perdi-
di? Heu, heu, heu! fili mi, quām vellem esse
apud te modò, & mutare vocem meam! quo-
niam confundor in te! (Galat. 4.) Imperiti-
am enim magistri redarguit iniquitas disci-
puli. Ergò, per viscera misericordiæ Dei nos-
tri, in quibus nos visitavit orиensex alto, oro;
atque iterumque obtestor, resipisce tandem.
Da hoc mihi, antequam moriar: da tibi, ne
rursum moriāre; aut si mortuus es adhuc,*

ut

ut reviviscas; da denique nec mihi, nec tibi;
sed Deo, sed Domino, sed Patri tuo. Hic,
hic quidquid est filii patrisque simul in u-
num recollige, & prodigi personam, lacry-
mas, affectum iterum refer odio rui, amore
Christi. *Sanguinem dedit, sanguinem debes;*
(Ambrosius.) & si sanguinem, quanto
gìs lacrymas?

*Pars secunda, pro animâ justâ &
innocente.*

Neque sic tamen existimes, quod id ego
tantum à pœnitente requiram. Nam etsi in-
nocentissimus audires; haud propterea de-
beres minùs: cùm multò majus beneficium
sit à lapsu servari immune, quam ab eo-
dem, ubi cecideris, exsolvi reum. res mira!
plus debet, qui debiti minus contraxit; in-
nocens fateor, at beneficii reus gratiæque
majoris. Ille debet quod debet, iste debet
quicquid non debet, debito ex indebito pla-
nè infinito. Itaque duo debitores erant, quo-
rum utrique fit grande donativum, alteri
denariorum quinquaginta, alteri quingen-
torum. Quæritur, uter amori plus debeat
amoris? respondebis cum Simone, Arbitror
cui